Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cum. Ait illi dns eius. Euge serue bone et fidelis.
quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam
intra in gaudium domini tui. Accessit autem et qui duo
talenta acceperat et ait. Domine: duo talenta
mihi tradidisti: ecce alia duo lucratus sum. Ait
illi dns eius. Euge serue bone et fidelis: quia super
pauca fuisti fidelis: super multa te constituam intra
in gaudium domini tui. Secundum Lucam

Hic dixit dns parabolam hanc. Homo
quidam nobilis abiit in regionem longinquam: accipere sibi regnum et reuerti. Vocatis
autem decem seruis suis dedit illis decem minas.
et ait ad illos. Negociamini dum uenio. Ciues
autem eius odierant illum: et miserunt legatos
post illum dicentes. Nolumus hunc regnare
super nos. Et factum est ut reduceret accepto regno
et iussit uocari seruos: quibus dederat pecuniam
ut sciret quantum quisque negociatus esset. Ve-
nit autem primus dicens. Domine: mina tua
decem minas acquisiuit. Et ait illi. Euge bone
serue: quia in modico fidelis fuisti eris pote-
statem habens super decem ciuitates. Et alt
uenit dicens. Domine: mina tua fecit quinque
minas. Et huic ait. Et tu esto super quinque ciuita-
tes. Et alter uenit dicens. Domine: ecce
mina tua quam habui repositam in sudario.
Timui enim te quia homo austeris es: tollis
quod non posuisti: et metis quod non seminasti.
Dicit ei. De ore tuo te iudico: serue ne-
quam sciebas quia ego austeris homo
sum tollens quod non posui et metens quod